



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs**

**Dript, Laurentius a**

**Paderbornae, 1672**

Articvlvs III. An detur Ignorantia invincibilis Praeceptorum Decalogi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13441**

catores, five illa sit naturalis, five positiva: ubi enim lex non est, nec prævaricatio, nec peccatum: cum prævaricantes sint omnes peccatores terræ.

### ARTICVLVS III.

*An detur Ignorantia invincibilis  
Præceptorum Decalogi?*

I. **D**ari ignorantiam invincibilem Præceptorū Decalogi, eorumq; transgressores ea propter à peccato excusari, hoc tempore insistendo principiis novæ probabilitatis, nihil novum est. Vnde quidam ex Neotericis suis fundamentis conformiter peccato excusat Atheos, & Polytheos eos scilicet qui nullum vel plures Deos credunt; asserit enim Deorum pluralitatem stando in puris principiis naturalibus defendi posse, & propugnari: & iterum prudentia humana viribus naturæ derelicta probabilissime crederet plures Deos: & alio loco ait posse dari ignorantiam invincibilem Dei, quoad aliud quod tempus saltem breve, omnes Schola-



Itici docent. Huc etiam reduci possunt, qui docent licere æquivocare etiam cum juramento: licere optare mortem parentum, Fratrum & Sororum: Licere occidere iniquum Judicem, testes &c: non esse adulterium consentiente marito, cum illius uxore concumbere: licere rapere alienum non solum in extremâ, sed etiam in gravi necessitate: & plura similia infra ordine adducenda. Sed contrarium scilicet non dari ignorantiam invincibilem præceptorum Decalogi sensisse, non solum Sanctos Patres, sed etiam Doctores Scholasticos, adductis eorum verbis & rationibus demonstratur.

8. Inter SS. Patres Primus hanc veritatem dilucide asseverat *Augustinus lib. de spir. & litt. cap. 14.* certe ait, *legem Moyses ministrandam populo accepit in monte scriptam in tabulis lapideis digito Dei. In illis igitur Decem præceptis, exceptâ Sabbathi observatione dicatur mihi, quid non sit observandum à Christiano, sive de non faciendis colendisve Idolis alijsve ullis Diis præter unum verum Deum: sive de non accipiendo nomen Domini in vanum: sive de honorandis parentibus: sive*

C 5

de ca-



de cavendis fornicationibus, homicidiis, fur-  
tis, falsis testimoniis, adulteriis, re aliena con-  
cupiscenda? Quid horum quisquam dixerit  
Christianum non debere servare?

3. S. Augustinum D. Thomas Aquinas  
ut discipulus Magistrum è vestigio sequitur,  
dum q. 3. de malo art. 6. in corp. sic ait: Ignoran-  
tia illa, quâ quis ignorat ea, quæ tenetur scire,  
non est absque peccato: tenetur autem scire  
ea quilibet, quibus dirigatur in proprijs acti-  
bus. Unde omnis homo tenetur scire præcepta  
Decalogi, per quæ potest peccata vitare, & be-  
num facere.

4. Idem probant & convincunt omnes  
vel pleræque Sententiæ SS. Patrum, Articulo  
immediatè præcedenti relatæ, quibus addo  
Scholasticos & quidem primo Alphonsum  
à Castro, qui lib. 1. de potest. leg. poenal. cap. 2.  
Theologi inquit omnes concorditer docent Igno-  
rantiam legis naturæ neminem excusare  
transgressione illius legis: qui ut ostendat de  
præceptis Decalogi, id quoque intelligen-  
dum esse, mox subjungit: Naturali ratione  
suadente sine aliquo alio præceptore intelligere  
valent homines, ea, quæ lex in Decalogo præ-

cipit;



cipit; Eodem modo intelligendus *Adri-  
anus*, dum in quodlibeticis ait: *Ignorantia juris  
naturalis quo ad prima principia legis naturæ,  
& alia, quæ quis pro officio, vel statu scire te-  
netur unicuique est damnabilis, & eorum in-  
quit, quæ sunt legis divinæ est differentia: quæ-  
dam enim sunt, quorum notitia omnibus adul-  
tis necessaria est ad salutem: Primo, ut com-  
munia juris naturalis præcepta, cuiusmodi  
sunt præcepta Decalogi & horum ignorantia  
in nullo est invincibilis. Adrianum sequitur  
Gregorius de Valentia, Ignorantiam inquit  
invincibilem posse contingere & circa quodvis  
factum contingens, & circa quodvis jus exce-  
ptis primis principiis legis naturæ, qualia sunt  
bonum esse faciendum, malum vitandum:  
Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.  
item exceptis aliis præceptis, quæ ex hujusmo-  
di principiis nullo negotio à quovis homine de-  
daci possunt, ut, quod Numen sit colendum,  
quod parentes sint honorandi.*

5. Consentit *Vasquez* tom. 1. in. i. 2. disp.  
122. cap. 3. n. 7. concedimus dicens nunquam  
contingere Ignorantiam invincibilem in pri-  
mis principiis naturalibus, neque in præceptis



Decalogi, qua sunt propinqua conclusiones, nisi ex culpa aliqua. Et clarius paulò infra Dico primo inquit prima principia moralia & præcepta Decalogi, adeo esse lumine naturali nota, ut si simpliciter & sine aliqua particulari circumstantiâ occurrant, nunquam ignorantur sine culpa: Quibus subscribunt Estius articulo Præcedenti relatus Corduba, quem asserit Vasquetz se sequi, Durandus Alexander de Ales, & alij.

6. Pulcherrimus est super his S. Augustini discursus lib. de 10. chordis cap. 10. ubi in illo primò principio, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, ad hominem & ad oculum deducit, & infert singula Decalogi Præcepta secundæ tabulæ, hoc modo: sed dicitur inquit furtum si faciam, id facio, quod pati nolo: Si occidam, id facio, quod ab altero pati nolo: si parentibus meis honorem non deferam quando volo, ut mihi deferatur à filiis meis, id facio, quod pati nolo: nam si interrogetur, dicitur nolo ut uxor mea aliquid tale faciat: si concupisco uxorem proximi mei, & nolo quisquam concupiscat meam, id facio, quod pati nolo: si concupisco rem proximi, nolens ut auferatur



mea, id facio, quod pati nolo. Cum verò ad meretricem eo: cui facio, quod pati nolo? quod gravius est, ipsi Deo. Etenim, quod tibi fieri non vis alteri ne feceris, ad duo præcepta pertinet: si homini non feceris, quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi, ad septem chordas: Si autem, quod non vis pati ab homine, ipsi Deo vis facere, quid hoc est? nonne facis alteri, quod pati non vis? charior tibi factus est homo, quam Deus: Ego, quomodo inquis injuriam facio ipsi Deo? corrumpis te ipsum: & unde injuriam facio Deo, quia corrumpo me ipsum? unde facis tibi injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua est imago tua in domo tuâ inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns: si quis illam lapidet, nonne in te factam contumeliam attendis? Cum verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes & defluentias libidinis: attendis, quia ad nullius uxorem accessisti: attendis, quia post uxorem tuam nihil fecisti, quia uxorem non habes, & non attendis per libidines & illicitas fornicationes, cujus imaginem violasti? Postremo Deus scit.



us scit, quid tibi utile sit, qui vere sic servos suos gubernat, ad utilitatem ipsorum, non suam, non enim indiget servis, quasi ad adiutorium, sed tu indiges Domini auxilio: ipse ergo Dominus, qui scit, quid tibi sit utile, uxorem concessit, nihil amplius. Hoc iussit, hoc praecepit, ne per illicitas voluptates corruat templum eius, quod esse coepisti, nunquid hoc ego dico? Apostolum audite: nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? si quis templum Dei corruerit, corrumpet illum Deus: videtis quomodo minatur? non vis corrumpi Domum tuam, quare corrumpis Domum Dei? certe facis alicui, quod pati non vis.

7. Ratione quoque id demonstrari potest: primo, quia Praecepta Decalogi conclusiones sunt per necessariam consequentiam, & omnino facilem, ac obviam ex primis principiis naturalibus, quae à nullo ignorari possunt deductae, ac necessario illis coherentes, ut conclusio demonstrativa cum praemissis primo veris: jam vero implicat eum, qui cognoscit principia universalia, ignorare particularia, saltem in confuso in ijs contenta, & non possit ipsa inferre: ut qui scit

ratio-



rationale esse risibile, & omnem hominem esse rationale, necessario quoque scit illum esse risibilem; pari modo, qui scit; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: scit quoque quod sibi nolit inferri furtum: se nolle ab altero vulnerari, occidi, aut aliam injuriam pati, &c. ac consequenter non potest invincibiliter ignorare, se nec alteri similia inferre posse.

8. Secundo, qui punitur pro delicto, non laborat ignorantia invincibili, cum illa nec reatui, nec pœnæ subjaceat, juxta communem Neotericorum sententiam; sed ij, qui contravenerunt etiam ignoranter Præceptis Decalogi subiacuerunt reatui, & pœnæ, uti clarissime ex verbis Apostoli supra allegatis deducit *S. August. tract. 89. in Joannem, humana, ait, superbia, tanquam presumens de viribus liberi arbitrij excusatum se putat, quando ignorantia, non voluntatis est, quod peccat. Secundum hanc excusationem inexcusabiles dicit scriptura divina, quoscunque scientes peccare convincit: Dei tamen justum judicium nec illis parcit, qui non audierunt: Quicumq; enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt,*



peribunt: & quamvis se ipsi excusare videntur, non admittit hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectum, ei que obedientia dedisse preceptum, nec nisi eo, quo male usus est libero voluntatis arbitrio etiam, quod transierit in posteros manasse peccatum.

9. Consentunt Sedulius & Haymo. Illi quidem in Collect. super 7. ad Rom. Vbi scriptum est lege ait, pene lex in oblivionem perat naturalis, quæ suggererat, quid esset peccatum; idcirco lex litteræ supra indicta est, ut commemoraret oblitos. Et mox ad illa verba, sed ubi venit mandatum, peccatum revixit. In fine oblivionis inquit, recognitum est peccatum veniente mandato: ut omnis, qui illud fecerit mortuum se esse cognoscat. Peccatum autem revixit, quia vixerat per scientiam naturalem, & mortuum fuerat per oblivionem, idcirco eo dicitur revixisse per legem. Ego autem mortuus sum: mortuus est homo, qui videt se Reum apud Deum, & antea putabat se non futurum obnoxium ex his, quæ peccabat. Haymo verò in cap. 7. ad Rom. Peccatum non cognovi inquit, nisi per legem, id est pœnam & vindictam peccati non cognovi, nisi per legem, quæ punit pec-



cata, veletiam quadam mala opera non co-  
 gnoscebam, quod peccata essent, usque quo lex  
 venit. Quibus adde ex *D. Thomâ* art. 3. n. 3.  
 quod tales ignorantia, & Juris naturalis ob-  
 litteratio ordinarie à pravis consuetudini-  
 bus & corruptis habitibus originem ducant:  
 quorum sicut homo voluntaria causa est, sic  
 contra ignorantiam & excecationem ex il-  
 lis ortam & viriliter pugnare, & Dei, ejusq;  
 gratia assistentiam incessanter implorare te-  
 netur. Idem sentiunt *P. Antonius Teryl-  
 lus*, & *P. Alphonsus à Sarasâ*: qui licet sint  
 acerrimi in impugnandis *Prospero Fragna-  
 no*, *Sinnichio*, *Vincentio Baronio*, *Julio Mer-  
 coro*, *Vendrockio*, & aliis pro licito usu sen-  
 tentia minus tuta, & minus probabilis: ei-  
 dem tamen in primis principiis, & quæ im-  
 mediate ac facile ex illis deducuntur locum  
 non esse, lubentes admittunt: dum negant in  
 illis dari ignorantiam invincibilem quæ sen-  
 tentia probabilis basis & fundamentum est.  
 Videatur *P. Teryllus* q. 16. n. 84. *Conclus. pri-  
 mâ & secundâ*. Vbi clarissime hucusque di-  
 cta confirmat & demonstrat.

Articulus